



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

De Grauitate, & Leuitate. Cap. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**

tamen in suis dialogis Plato, multa proferre ex aliorum sententia, & ad vulgi demulcendas aures: quæ à solerti Platonico debent deinde, per potiora Platonis fundamenta, in convenientem sententiam redigi.

*De Gravitate, & Leuitate.*

CAP. XI.

**T**Riplex in corporibus, quæ elementa dicuntur, consideratur grauedo: Vna est aduentitia; per quam dicimus corpora, quò magis mouétur, eò ferri velociùs; & quò feruntur velociùs, esse grauiora: Altera est naturalis propensio ad proprium motù. Postrema est grauedo essentialis; de qua loquentes, dicimus terram grauem, ignem leuem. Si loquimur de prima aduentitia grauitate; ea solùm elementis conuenit, dum redeunt in suam naturam, & locum sibi competentem: & conuenit, non in principio, sed in progressu motus: & nõ minus conuenit ætheri, & aeri, quàm aquæ, & terræ. Cœlo hæc grauedo non conuenit; quia nunquam à suo loco, suauè natura recedit. Secunda grauedo conuenit elementis duplici modo; primo, dum redeunt in suum locum; altero, dum feruntur in orbem: nam hæc grauitas nil aliud est, nisi propensio ad illum motù. Ex his duobus modis, primus non conuenit cœlo; quia non mouetur motu recto: alter verò maximè conuenit; quia maximè ad motum suum est pro-



proclive; & grauiſſimum iudicaremus cœlū, ſi nobis datum eſſet ſuo motui manum oppo-  
nere. Tertia abſolutè conuenit omnibus: cun-  
cta enim elementa aliquid grauitatis inclu-  
dunt; cūm materiam, & corpoream compoſi-  
tionem in ſe habeant. Hinc facilius elementa  
omnia descenderent, quàm ascenderent: facta  
tamen comparatione, aer, æther, & ignis, leuia  
dicuntur; aqua, & terra, grauia. De hac tertia  
loquutus eſt Plato in Timæo, dum dixit: Le-  
uiſſimum eſſe, quod pauciſſimas baſes inclu-  
dit, & ex pauciſſimis partibus eiſdem conſtat,  
qualis eſt ignis. De altera grauitate, ſcilicet, de  
ſecunda, verba fecit in Timæo, dum dixit: V-  
num tamen id de his omnibus cogitandum;  
quòd via, grefſioque ſingulorum corporum,  
ad ſimile, atque cognatum ferens; graue fa-  
citid, quod fertur; in quo quidem ſecundo  
grauitatis genere includitur modo aliquo e-  
tiam primum; vt conſideranti notum eſt. Et  
ſi quis quærat, quomodo elementorum partes  
in ſuum locum reuertantur; dicendum eſt,  
quòd redeunt, & per ſuam naturam, & per a-  
nimam ſimul: per naturam ſuam, habent pro-  
penſionem ad illum motum; per animam, ab-  
ſolutionem, & perfectionem. Et ſi per imagi-  
nationem ſphæra terræ ſub orbe lunæ proxi-  
mè poſita eſſet, iam imaginaremur peruerſio-  
nem ordinis vniuerſi: ad quam, nec anima ter-  
ræ, nec eius natura, eſſet procliuis: & propter  
eà tunc partes liberæ derelictæ, ad ſuum totū



non mouerentur: quia nec anima ad illum locum traheret, nec partes in illum essent procliues; cum ea sit dispositio præter naturam: ex fatua nostra imaginatione pendens: ad quam si sequuntur absurda, nil refert, cum sequantur ex nostra inani imaginatione. Ex his patet, quomodo à calumnia vindicari debeat Plato, dum carpitur: quia dicat, elementorum partes ad suum totum moueri, ab eoq; trahi.

*Comparatio opinionis Aristotelis cum sententia  
Platonis in nuper dictis.*

## CAP. XII.

**I**N plurimis profectò Aristot. à Platone dissentire videtur. Primò, Arist. triplex illud grauitatis genus non ponit, sed solum duplex: primum uidelicet, & tertium. Secundò, Arist. cœlum nec graue, nec leue esse affirmat: ex sententia Platonis dictum est, cœlum aliqua ratione leue, alia verò graue dici posse. Tertio, Arist. ignem dicit solum leuem: Plato verò ætherem sub cœlo positum, igni respōdentem; & leuem in comparatione, & grauem in propensione ad suum locum affirmat. Quarto, Arist. in postremo lib. de Cœlo, à cont. octauo ad 10. reiiicit eam leuitatis, & grauitatis causam, à Platone in Timæo traditam: dum dixit, Leuissimum esse, quod paucissimas bases includit, & ex paucissimis partibus eisdem cōstat. Demum, dissentire videtur in assignanda causa  
redi.